



# Theses quaedam juris inaugurales

<https://hdl.handle.net/1874/295351>

2

THESES QUÆDAM JURIS  
INAUGURALES.

Q U A S

ANNUENTE SUMMO NUMINE

*Ex Auctoritate* RECTORIS MAGNIFICI

ALEXANDRI PETRI NAHUYS

A. L. M. Phil. & Med. Doct. atque  
Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi* SENATUS ACADEMICI *consensu*, et  
*Nobilissimæ* FACULTATIS JURIDICÆ *decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &  
Privilegiis rite ac legitime consequendis,

*Eruditorum Examine* Submittit

HENRICUS GILDEMEESTER,

ULISSIPONE - LUSITANUS.

---

*Ad diem XII. Maji* MDCCCLXXX. H. L. Q. S.

---

TRAIECTI AD RHENUM

*Ex officina* ABRAHAMI VAN PADDENBURG

ACADEMIAE TYPOGRAPHI MDCCCLXXX

THESIS QUONDAM JURIS  
IN AUCTORALIS

ANNONITAE SUMMO NOMINE

EX AUSTRIACA RECTORIS MAGISTRICI

ALEXANDRI PETRI NAHUY

PROFESSORIS JURIS PRAELECTORIS  
PROFESSORIS ORDINARI

WENON

ACADEMIAE SENATUS ACADEMICI CONSENSU  
FACULTATIS JURIS PRAELECTORIS

PRO GRADU DOCTORATUS

IN IURIS PRAELECTORIS  
PRAELECTORIS AC LEGUM CONSEQUENTIA

EX AUSTRIACA RECTORIS MAGISTRICI

HENRICUS GILDEMESTER

WILHELMI - POSTULANS

ANNO DOMINI MDCCCXXXII. M. L. Q. S.

TRACTATI AD RHENUM

EX OFFICIO ABRAHAM VAN RADENBURG

ACADEMIAE THEOLOGICAE PRAELECTORIS



# THESES QUÆDAM JURIS INAUGURALES.



## T H E S I S I.

JUS TALIONIS NATURA NULLUM EST, NEQUE ADMITTEN-  
DA EST SENTENTIA EORUM, QUI HOMICIDIUM, ADUL-  
TERIUM AC SIMILIA GRAVIORA CRIMINA NON ALITER,  
QUAM ULTIMO SUPPLICIO VINDICARI POSSE ARBITRAN-  
TUR.



uemadmodum naturæ repugnat omnis dolor,  
ejusque sensus cuivis homini acerbissimus est,  
ita non tantum naturalis quodammodo ul-  
tionis videtur cupiditas:

*At vindicta bonum vita jucundius ipsa.*

A

JUVEN.

2 THESES QUÆDAM JURIS

JUVEN. Sat. XIII. vs. 180. sed etiam legibus naturæ, uti prima fronte videtur, non plane adversaria. CICERO certe inter exempla juris naturæ vindicationem refert *Lib. II. de Invent. C. 22.* videlicet eam, *per quam vim ac contumeliam defendendo aut ulciscendo propulsamus a nobis ac nostris, qui nobis cari esse debent, & per quam peccata punimus.* Sampson *Judic. Cap. XV. comm. 3.* sese infontem declarat, si Palæstinis, qui se malo affecerant, malum rependeret. Atque hinc quoque singularium certaminum sive duellorum, quæ medio ævo cum frequentissima erant, tum legum auctoritate probata, ducenda origo est. Multas vero in hanc rem sententias oratorum, poëtarum, philosophorum, cumulare non esset difficile. Nimirum neque grave videbatur, neque injustum, tantum malum quemque perpeti, quantum fecisset. Ad quam rationem apud inferos jus dicere, pœnasque distribuere Minoëm, Rhadamantum, Aeacum, Triptole mum finge bant veteres: Et in *L. XII. tabb.* cautum fuisse legimus, *si membrum ruperit talio esto:* notissimumque est juris etiam civilis  
Romani

INAUGURALES. 3

Romani præceptum: *Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur.*

At vero si diligentius ad vim legum naturæ advertamus animum, primo quidem obscurum esse nequit, ultionis cupiditatem nihil aliud esse quam infirmi atque impatientis animi vitium, de quo JUVENALIS *ibid.*

*Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis*

*Interdum aut levibus videas flagrantia caussis:*

*Quantulacumque adeo est occasio, sufficit iræ.*

*Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis*

*Ingenium, dulcique senex vicinus Hymetto.*

*Qui partem acceptæ sæva inter vincla cicuta*

*Accusatori nollet dare. Plurima felix*

*Paulatim vitia atque errores exuit omnes:*

*Prima docet rectum sapientia; quippe minuti*

*Semper & infirmi est animi exiguique voluptas*

*Ultio.*

*Inhumanum est verbum, inquit SENECA. Lib. II. de*

*Ira Cap. 32. & quidem pro justo receptum ultio, & a contumelia non differt, nisi ordine. Qui dolorem regerit, saltem excusatus peccat.* Itaque Belgii immortale decus H. GROTIUS L. II. C. 20. §. 5. vindictam quidem ait naturæ consentaneam esse, nimirum ei, quam homo cum bestiis habet communem, non vero nobiliori parti animi, quam mentem vocabant sapientes, cui convenit non nocere alteri homini, nisi id bonum majus habeat propositum.

Deinde hoc quoque manifestum est, talionem non veram esse ac justam pænarum mensuram. Nam ex sapientium sententia in omni punitione hæc tria proposita sint, oportet; primum ut emendetur is, qui peccavit; deinde ut ne amplius ab eodem improbo noceatur ei, contra quem est peccatum; & tandem ut alii quoque a similibus sceleribus deterreantur. Itaque sufficit tantum malum, quantum aptum sit, & ad delinquentem & ad alios ab improbis facinoribus deterrendos, ut pœnæ modus & ratio pro delictorum perpetratorum illecebris, pro eorum frequentia, pro facilitate delinquen-

di & id genus aliis rebus vel major talione vel minor esse possit.

Qui vero peccanti ob eam modo caussam inferret malum, ut ejus dolore animum suum pasceret, ac proprii doloris acerbitatem veluti mitigaret is, uti **SENECA** ait, tantum excusatus peccaret. Ex quibus breviter disputatis hoc effici putamus, ut talio non justa pœnarum mensura sit, & ne licitum sit humano judici tantum malum peccanti inferri, quantum fecit ipse, si leviori possit finis pœnarum obtineri; & contra ut majori quoque malo liceat delinquentem afficere, si tantundem mali non sufficiat ad homines a delictis deterrendos.



## T H E S I S I I.

CRESCENS POTENTIA CUJUSDAM GENTIS, QUÆ NIMIUM  
 AUCTA PERICULUM AFFERE POSSIT, SOLA NON EST JUSTA  
 BELLI CAUSSA.

Ex doctrina de sui defensione constat, cuivis populo  
 jus esse non præsens tantum periculum depellendi, sed  
 etiam præveniendi futurum. GROTIUS *de jur. B. & P.*  
*Lib. II. C. I. §. 16.* At hoc præceptum nisi prudenter  
 accipiatur, metuendum est, ne sit iniustum. Nam  
 fuerunt inter doctos, qui arma jure putarent sumi ad  
 frangendas vicini populi crescentes vires, quæ nimis  
 auctæ possent nocere. Cujus sententiæ temeritatem de-  
 fendit quoque HOBBS *de Civ. C. 13.*

Profecto quæ de servanda virium inter populos Eu-  
 ropæos æqualitate disputant nonnulli, ea inter suaves  
 somniantium nugas sunt numeranda. Verissime tradi-  
 tum est a sapientibus, nullam aliam esse justam belli  
 caus-

INAUGURALES. 2

causam, nisi injuriam. Quare si gens quædam industria, prudentia, fortitudine, artium & scientiarum studio, mercaturæ flore uti vires suas auget, ita justitiam, fidem, æquitatem, virtutes omnes sancte colit; omnino ei bellum non potest inferri. Quid? nonne quilibet populus, & ad suam & ad aliarum Gentium felicitatem qua possit ratione amplificandam naturæ lege tenetur? Tandem qui ad nimiam vicini populi potentiam minuendam juste bellum geri docent, ii non vident, se vagam plane & incertam doctrinam tradere. Nam quaero, unde hæc potentia erit intelligenda? Num ex ingenti divitiarum & pecuniæ vi, quæ non raro interitum attulit populis? an ex latissimis regionis finibus, ad quos cum vis imperii sese omnes uti oportet exserere nequeat, intestinis bellis ac tumultibus sæpe populos vexari videmus? An denique ex Imperantium sapientia, ex prudentium magistratuum delectu, ex bene temperato imperio, ex amore subditorum erga Imperantem, quæ si qua alia imprimis potentem populum efficiunt, hoc judicabimus? Taceo quæ nimia sit potentia vix posse definir.

finiri. Sapientissime monet GROTIUS *Lib. II. C. 1.*

§. 17. *Ita vita humana est, ut plena securitas nunquam nobis constet. Adversus incertos metus a divina providentia, & ab innoxia cautione, non a vi presidium petendum est.*

### THESIS III.

QUERELA INOFFICIOSÆ DONATIONIS NON AD ID COMPARATA EST UT LECTIMA MODO PORTIO RESTITUATUR, SED UT TOTA DONATIO RESCINDATUR.

Cum contra inofficiosa testamenta cautum esset legibus, ut nisi legitima portio sive liberis sive parentibus relicta esset, universa bona querela inofficiosi testamenti revocarentur; eas leges improbe eludebant callidi homines, atque inter vivos bona sua in fraudem eorum, quibus legitima debebatur, donabant. Itaque necesse fuit,

fuit, ut leges rursus huic malo providerent, quam ob rem inducta est querela inofficiosa donationis, ad immoderatam ejusmodi donationem rescindendam. At dissensio est inter juris interpretes, an, qui laesus sit, totam illam donationem, an vero legitimam suam portionem revocare possit?

Quam vero nos sententiam sequamur, ex ipsa proposita thesi apparet, quam nonnullis jam argumentis confirmabimus. Et primum quidem ad eludendam querelam inofficiosi testamenti ejusmodi immoderatas donationes excogitatas esse modo constitit. Itaque ejusmodi remedium erat adhibendum, quod fraudem illam omnem impediret, & tantundem efficeret, quantum inofficiosi testamenti querela, si non callide esset elusa, qua sane omnia bona, non modo legitima portio revocatur. Atque eam ob causam querela inofficiosi testamenti & querela inofficiosa donationis cum in *L. ult. C. de inoffic. don.* tum passim in toto illo titulo inter se comparantur. Deinde in *L. 87. §. 3. D. de Leg. 20.* legimus ab Alexandro Imperatore rescriptum esse, *id,*

*quod donatum sit, pro dimidia parte revocari:* nam quod dimidiam explicant de legitima sive de dimidia quartæ partis, id tale est, ut facile ad causam suam, quo fieri possit modo defendendam a dissentientibus excogitatum esse appareat. Quid? nonne, aperte ea, quæ donata sunt; revocari dicuntur §. seq. 4. quæ verba quomodo ad legitimam referant, isti viderint.

Postea in *L. 2. C. de inoffic. donat.* Imperatores ita distinguunt, ut qui in patris potestate permanserit filius, ei iudicio familiæ eriscundæ legitimam tribuat arbiter; at si emancipatus sit, præsidem provinciæ dicunt auxilium filio laturum esse *ad similitudinem inofficiosi testamenti querelæ*, qua omnia bona revocari certissimum est. Tandem etsi quam quis tuetur sententiam, eam frustra auctoritate conetur probare, non tamen omitemus præstantes ingenio & eruditione viros JAC. GOTHOFREDUM *in comm. ad L. un. C. Theod. de inoffic. don.* & ANT. FABRUM *Lib. III. Conject. C. 17.* qui præclare pro eadem sententia pugnarunt.

INAUGURALES. II

THESIS VI.

DONATIO AB ORBO FACTA PROPTER NATOS POSTEA LIBEROS NON POTEST REVOCARI.

Quæ huic controversiæ causam dedit, *Lex. est 8. C. de Revoc. Donat.* sine qua haud scio, an cuiquam in mentem venisset ea de re disputare. Omnino in illa *L. 8.* præcipitur, si patronus unquam, liberos non habens, bona sua omnia, vel partem eorum donaverit libertis, & postea susceperit liberos, totum quidquid donatum esset, revocari & ad donatoris arbitrium redire. De quo hoc primum velim animadverti, non hoc esse rescriptum ad causam singularem datum, sed, quod ex inscriptione apparet, edictum, adeoque legem communem, quæ ad omnes subditos pertineat: in qua omnino de patrono & libertis hoc inepte esset constitutum, si idem ab aliis quoque servari Imperatores voluissent. Hæc vero constitutio est *Lex* plane singularis & exceptio a communi juris præcepto, quo validæ sunt donationes omnium bonorum ab iis, qui liberam rerum suarum facultatem habeant, factæ. Profecto permulta

M U B 2 1 A T

sunt

12      THESES QUÆDAM JURIS &c.

sunt singularia de libertis constituta, propter magnum beneficium, quo patronis devincti sunt, ut liberti & honorem & obsequium & operas debeant patronis, eosque si ad egestatem pervenerint, una cum liberis alere teneantur: *L. 5. §. 12. de agnosc. & alend. lib.* quin & patronus & liberi ejus non raro libertis in bona succedunt. Neque obscurum est, uti aliis legibus, ita hac constitutione id imprimis egisse Imperatores, ut nimiam libertorum potentiam retunderent. At dicat fortasse aliquis, qui sibi acutior videtur, quis orbus donaret omnia bona sua, si sciret sibi postea liberos fore; ut hæc semper conditio tacite subintelligi debeat, ut postea si liberi nascantur, bona restituantur. Sed hunc quidem precor, ut legat *L. 7. C. de cond. ob caus. dat.* ex qua discat, conditiones ejusmodi in mente retentas nullius momenti esse; quare qui omnia bona sua donat, is si fortasse de hoc casu cogitet, & bona sua tunc sibi restitui velit, eum id diserte oportet significare. Vid. JAC. GOTHOFR. *ad L. 3. C. Theod. de Revoc. donat.* & VINNIUS *Lib. II. Sel. quest. C. 32.*

T A N T U M.